



28  
6

Q. D. B. V.  
M. GODOF. CHRISTIAN. GOETZII

ANNAEMONTANI  
REV. MINIST. CAND.

DE

VESTIVM  
NIGRARVM

VSV

COMMENTATIO

PHILOLOGICO-ANTIQUARIA,  
ACCEDIT

COLLECTIO  
TESTIMONIORVM ACADE-  
MICORVM

A  
PATRONIS ET PRAECEPTORIBVS  
COMMUNICATORVM,

---

Helmstadt,  
EX OFFICINA BUCHOLTZIANA.



M. GODOF. CHRISTIAN. GORLIUS  
ANNALISTAE  
REV. NINET. CAPO  
DE

WESTIVM  
NIGRARVM

VSV

COMMENTATIO  
PHILOGOGICAE ANTIQVARIAE  
ACCEDIT

COLLECTIO  
TESTIMONIORVM ACADE-  
MICORVM

A  
PATRONIS ET PRAECEPTORIBVS  
COMMISSIONARIVM

EX OFFICINA BUCHHOLDIANAE



MÆCENATIBVS,  
PATRONIS,  
PROMOTORIBVS,  
AC  
EVERGETIS,

VSQVE AD CINERES  
DEVENERANDIS,

**C**OMMENTATIONEM  
HANC  
PHILOLOGICO-ANTIQUARIAM  
CVM  
OMNIGENÆ SALVTIS  
VOTO  
D. D. D.  
EORVM  
NOMINIBVS AC DIGNITATIBVS  
DEVOTISSIMVS  
AVTOR.



## PRAEFAMEN.



Annus agitur vigesimus secundus, scilicet A. 1704-  
d. 29. Martii quo tibi L. B. *usum vestium albarum*,  
eumque & sacrum & profanum Magnificus ac  
Celeberrimus Dn. IOH. SCHMIDIVS, SS.  
Th. D. & P. P. Acad. Lips. Gamaliel ac Patronus demisse  
colendus, in Dissertatione quadam *Historica*, (pl. 4.) be-  
nevolo indultu amplissimae Facultatis Philosophicae, re-  
spondente *Friderico Ernesto Scholtze*, Olna-Siles. Phil. & SS.  
Theol. Stud. exhibuit. Exhiberem itaque ut eadem metho-  
do *nigrarum* quoque *vestium usum* idem autor suasorque fuit,  
ratus non atro notatum iri posse lapillo laborem, cum &

huius coloris nullo non aevo fuerit hodieque sit dignitas, & pretium, ut *specimen* ad edendum profectuum meorum, & ad tentandum quid valeant humeri quid ferre reculent in *studio antiquitatum*, quam optime, quam maxime sufficiat. Tantum vero abest, ut quicquid operae in evolvendis de re vestiaria monumentis impendendum duximus, superfluum videatur, actumque ab iis, qui coloris cuiuscunque prostant doctissimi interpretes, ut potius alium alijs, alium nobis scopum esse conferentibus pateat. Aut. THYLESIVS cuius liber *de coloribus* insertus JAC. GRONOVII *Thef. Ant. Graec. Tom. IX.* occurrit, non usum uni vel alteri nationum receptum sed nexum, quem invicem habeant succincte exponit. CHR. THOMASIVS in *Disp. de Jure circa colores* A. 1683. Lips. habita, quid sit color & quotuplex; usumque eius in diversis hominum statibus, in dominio, & ultimis voluntatibus, in contractibus & quasi contractibus in delictis & poenis, tandemque in processu, adeoque ex iure potissimum illustrat. Ut silentio praeteream partim Diatribam Physico-experimentalem, de COLORIBVS, atque in specie, de VIRIDITATIS CAUSA, Praefide Domino CONSTANTINO ZIEGRA, SS. Th. D. & Phys. Prof. Auctore & Respondente WENCESLAO KAHLO Hirsbergae Silesio ad diem 22. April. horis antemerid. in Acroaterio Maiori Anno 1668. partim Tractatum curiosum de *Corollariis Sacerdotum* ad Theologum celeberrimum Magnificum Dominum D. CHRISTIANVM FRIDERICVM BÖRNERVM Lipsiensem, A. 1709, directum & a Dn. L. VRBANO GO-



GODOFREDO SIBERO, V. D. M. ad D. Thomæ, Lips.  
editum; partim quod CYPRIANVS in *Sermone de Mortali-  
tate*, fol. 209. edit. Rigult. scribit: Contestatus sum as-  
sidue & publice praedicavi, fratres nostros non esse lügen-  
dos, accersitione Dominica de seculo liberatos, cum scia-  
mus, eos non amitti, sed praemitti: decedentes praecede-  
re, ut proficiscentes, ut navigantes solent: desiderari eos,  
non debere plangi: nec accipiendas hic esse atras vestes,  
quando illi ibi indumenta alba iam sumserunt: occasionem  
dandam non esse gentilibus, ut nos merito & iure reprehen-  
dant, quod, quos vivere apud DEVM dicimus, ut extin-  
ctos & perditos lugeamus, & fidem, quam sermone &  
voce depromimus, cordis & pectoris testimonio non pro-  
bamus. M. JOH. CASP. KRAVSE in *Disp. de colore  
sacro & speciatim vestit. sacerdot. A. 1707. Witt.* ventilata,  
album, rubrum, coeruleum, flavum, viridem, & viola-  
ceum exponendo occupatus nigro unicum caput secun-  
dum sive §§. 4. tribuit. Nobis autem, Deo auspice, est  
animus, misiss quae de colorum natura & differentia, quae  
speciatim de nigri, atri, fusci & pulli coloris convenientia  
praemitti possent, *nigrarum vestium usum sacrum & profanum*,  
qua poterit fieri brevitate inquirere.

SE-

## SECTIO I.

DE

## SACRO VESTIVM NIGRARVM VSV.

§. I.

**N**igrum vestium colorem sacrum nos dicere & venerandum, quem sacrum fere & execrandum habuit antiquitas, nemo mirabitur, qui secum perpenderit, habitum corporis ex ingenio & varia mortalium voluptate dependere, ut sua quemque trahat voluptas deque colorum praestantia, aequae ac de gustibus disputandum rigorose non sit. Quem vero morem gentes non omnes, quas recensere temporis & chartae spatium excederet, sed longe plures, praecipuaeque tenuerint, nigro sacerdotes, aliosque viros religiosos vestitu exornantes commodissime omnium tradi poterit, si *Hebraeorum, Gentilium & Christianorum castra* peragremus.

§. II.

HEBRAEI primum sibi vindicant locum, quorum sacerdotes ministrantes Deo, qui lux est & veritas, albis se vestibus distinguebant non tantum ab idololatriae cultoribus, sed suis quoque fratribus, qui sacerdotium ambire iure natalium poterant, reiecti autem ob labem, qua indigni habebantur tantae dignitatis munus obire. Sacri nimirum  
mini-

ministerii olim candidati, quamprimum legitimam consecuti fuerunt aetatem sistebant se viris Synedrii, quos penes erat & genus & vitia cuiuscunque examinare, expectantes signum vel electionis vel reprobationis, quarum haec nigro, illa albo habitu definiebatur. Actum huius initiationis describunt verba notatu dignissima CODICIS TALMVDICI MIDDOTH. c. V. §. III. quae ex interpretatione CONST. I' EMPEREVR Edit. 630. Lugd. 4. p. 177. & in Opere Misch. GVIL. SVRENHVSII Tom. V. p. 378. fluunt sequentem in modum: *In conclavi caesi lapidis confessus magnus Israhelis, sedebat ac etiam indicabat Sacerdotes: Sacerdos in quo inventretur vitium, induebat sibi atras, ac atris involvebat se, itaque egressus abibat: cui vero non inerat vitium, induebat sibi vestes albas, ac se albis involvebat, & ingressus ministrabat cum sacerdotibus fratribus suis.* Conf. IOH. HEINR. OTHONIS Lex. Rabb. Philol. voc. Sacerd. p. 534. sq. atque IOH. SAVBERTVS de Sacerd. Ehr. P. II. c. V. Op. Posth. p. 358. sq. Tantas autem nigri coloris averfatio in mentibus Hebraeorum radices egit, ut duobus pilis nigris vacca, quam immolabant rufa redderetur illegitima, ex mera sine dubio superstitione, quam male ad hypothefin suam applicat IOH. SPENCERVS L. II. c. XV. §. 11. Ed. Lips. p. 563.

## §. III.

Quamquam vero omnem colorem nigrum, atrum omnem ex divino Hebraeorum cultu merito exterminent unanimi consensu interpretes, exceptis Phylacteriis, quorum externam nigri corii faciem hodiernum experientia confirmat; Gens tamen a primis incunabulis idololatriae summopere dedita aluit sacrificulos *Camarim*, 2. Reg. XXIII, 5. Hof. X, 5. Soph. I. 4. quos faciunt ministros vitulorum Jerobeami Hieronymus ad Hof. I. c. Molochi IOH. SELDENVS de Diis Syr. Synt. I. c. VI. p. 171. Baalis M. CHR. BRAVNHARDT Disp. de *Camarim* s. *Hierophantis Judaeorum* ad 2. Reg. I. c. 580.

B

Witt.

Witt. §. 9. nec vitulorum & Baalim solum, sed simul Solis, Lunae, Planetarum ac universi coelorum exercitus IOH. CHRYP. WICHMANNSHAUSEN in Disp. de *Camarim peregr. Deorum ministris* 713. Witt. §. 15. p. 29. Hos *Camarim* sive atratos, ab atro, quo usi sunt habitu denominatos fuisse statuunt viri antiquitatis sacrae peritissimi, tam *Hebraei* DAV. KIMCHI, SAL. BEN. MELECH. IS. ABARBENEL quam *Christiani* SEB. MVNSTERVS. IO. DRVSIVS, EDM. CARTELLVS, FRAN. IVNIVS, IO. PISCATOR, IO. MERCERVS, IO. BVXTORFIVS, IO. SCHINDLERVS, IO. ROBERTSON, SAN. PAGNINVS, IOH. VATABLVS, TH. BEZA, IOH. MARIANA, IOH. SELDENVS, IOH. TVLLERVS, IAC. PARAEVS, CORN. a LAPIDE, quorum testimonia sollicite collegit laudatus WICHMANNSHAUSEN Disp. cit. §. 5. p. 9. augerique facile possent autoritate longe plurium v. g. PETR. RAVANELLI *Bibl. S. P. I. voc. Atrat. N. T. p. 157. a* Aliter eos, nigros tamen describit SEB. SCHMIDIUS *Com. ad Hof. X, 5. p. 444.* *Quid vero; inquit, si dicamus potius ita dictos, quod austeram vitam, ut Baalis quoque sacrificali vixerint in crebris ieiuniis, & sordibus, ut macie & sordibus nigri apparerent?* Vtraque appellandi ratio stare potest cum ea, qua alii dictos eos esse putant a religionis ardore, quo incalescent toti, & in superstitione exarserint. Hinc ex professo qui etymologiam horum sacrificulorum dedere, citati viri BRAVNHARDT, & WICHMANNSHAUSEN, ab incalescendi quidem notione nomen *Camarim* deducunt, concedunt tamen hic §. 14. p. 29. quod primitus ab ignis & calore & atrove quem efficit ita nuncupari potuerint; Ille, §. 4. quod a cultu etiam externo *Camarim* fuisse nuncupatos, *σευτέπος* licet, vero dissimile non sit. Praeter sacrificulos hos habuit gens superstitione nulli secunda alios quoque malarum artium magistros, qui si non omnes aut semper, multi tamen certoque tempore nigrum sibi elegere colorem. Tales fuisse כמרי יו

*Job.*

*Job. III, 5.* conicit D. SAL. DEYLINGIVS *Obs. Sacr. P. III. Obs. XIII. §. 6. p. 103.* *auspices dierum atque praefectos, & sigillatim indices dierum infaustorum & atrorum, a כמר nigrum esse quia atro non solum carbone notarunt dies אַפְרָאִיִּם & in auspiciatos, sed quoniam forte etiam nigris induti vestibus inceserunt, & in sacris praecipue, ac ritibus Magicis atro amictu sese conspiciendos exhibuerunt.* Sequitur hac in re auctoritatem STEPH. LE MOYNE qui in *Epist. ad GISB. CUPERVM* cuius HARPOCRATI adiecta est. *p. 263.* *Jobum usurpasse hoc nomen autumat, quia isti Pontifices & sacerdotes atris & nigris vestibus solebant incedere, & in sacris ritibusque suis magicis se conspiciendos praebere.*

## §. IV.

Sed non penitus defuerunt nigri coloris aestimatores in Gente Hebraea, nimirum viri, qui sacerdotum dignitati proxime accedebant, legisque divinae studio, & vitae sanctimonia prae caeteris eminebant. *Nasraeorum* habitum scriptura non definit, quem dum hirsutum fuisse & pilosum exemplo IOHANNIS BAPTISTAE, & prophetarum, verisimile iudicat IOH. HENR. HOTTINGERVS *Thef. Philol. L. 1. c. 1. Sect. V. p. 24.* nigrum facit IOH. LVNDIVS *Jüd. Heil. L. III. c. LIII. n. 23. p. 691.* Sit fides penes auctorem, quam sibi aliquam promittere potest in addita limitatione, si non omnes, plurimos tamen habitu vili contemptum mundi indicasse, cumque a materia pilorum ad colorem non absolute concludere liceat, largimur hirsutos inter & pilosos hos etiam atratos comparuisse. De *Rechabitis* aequae vel magis incertum, an vestitu peculiari eoque nigro usi fuerint? Quod affirmari & quidem de omnibus deberet, nisi fabulam saperet, quae de ipsorum successoribus & regno Rechabitarum ad septentrionem Babyloniae in tract. *Thenae* narrat BENIAMIN TVDELENSIS *Itiner. Edit. Const. p. Empereur p. 82.* *Qui, inquit, nec carnem edunt, nec vinum bibunt, quique atrati*

atrati in speluncis vivunt aut casulis, & per totam vitam moerent Sabbathis & festis diebus exceptis assidue divinam misericordiam pro Israëlitarum exulibus implorantes ut eorum propter nomen suum misereatur. Phariseos affectasse habitum, quo distinguerentur a plebe, singularem, nulli dubitamus cum HOTTINGERO *l. c. p. 33.* & quidem plerumque nigrum, si non omnes, ut videtur LVNDIO *Jud. Heil. L. IV. c. XIV. n. 2. p. 797.* Hodie Rabbinos nigro vestitu dignitatem suam, animumque ambitiosum declarare non mirum est, utpote quo unice plurimi differunt imperiti & rudes a reliquis, quos sub vulgi nomine despiciunt, licet muneribus saepe ac favore potius quam doctrinae merito titulum, huicque quod proprium est, nigrum pallium consequantur, observante IOH. BVXTORFIO *Synag. Jud. c. XLVI. imit. p. 667.* Nominandus hic nobis sub finem rerum Hebraicarum est ritus *ieiunii & poenitentiae* in sacco & vestitu atro, qui cum a laetibus in statu civili mutatus sit, merito quae dicenda hic essent, ad signa luctus publici & privati differimus.

## §. V.

*Gentilium* ad sacra non convertimus, in quibus albus color tantum non ubique invaluit, ita tamen ut nec omnis nec in omnibus niger exclusus fuerit. Nam superos alios alios inferos cum nuncuparent deos his maxime nigras & vestes & victimas, horumque in cultu sacerdotibus nigrum habitum tribuebant. Quod vestibus deos deasque nigris amicerint: patebit proxime ex more, quem cuique genti fuisse perulustrabimus. Quod victimas selegerint nigras Oedipononopus est, testem enim fide dignissimum producit ATHAN. KIRCHERVS in suo *Oed. Egypt. T. I. Syn. III. c. X. p. 237.* Apollinem cuius oraculum normam sacrorum exhibet huc facientem: *Terna quidem Divis coelestibus hostia, & ipsa candida mactanda est; terna & terrestribus, atque Atra eadem; gaudet porro & capiuntur aperitis Coelestes aris, foveas cum*  
*Numina*

*Numina contra exposcant atro imbutas inferna cruore, &c.* Pa-  
 riter EVSEBIVS Praepar. *Evang. L. IV. c. IX, Edit. FRANC.*  
 VIGERI *Parif. p. 146.* terrestribus dies victimas quadrupedes  
 easque nigri coloris omnibus ex aequo immolari, marinis  
 autem nigras volucres autoritate PORPHYRII confirmat.  
 Hinc Ethnicos de corio magis quam carne sollicitos exagitat  
 ARNOBIVS *adv. Gent. L. VII. p. 125. sq.* *Si foeminas foemi-*  
*nis, mares autem hostias diis maribus immolari, sacrificiorum*  
*iura proscribunt; quae in coloribus ratio est, ut merito his albas,*  
*illis atras conveniat, nigerrimasque maclari? Quia superis Di-*  
*is color laetus acceptus est, Diis laevis sedesque habitantibus in-*  
*feras color furvus est gratior? Quid ergo? Non videtis, (ne*  
*vobiscum & nos stolide similiterque ludamus) albas esse hostiarum*  
*carnes, ossa, dentes, pinguitas, mollesque in ossibus medullas?*  
*Solas ergo immolate lanas, vulvasque ex hostiis serulas &c. Quod*  
*denique atrati pullatique sacra haud raro peregerint gentiles*  
*olim antistites, cum IOH. SAVBERTO de Sacrif. *Vet. c.**  
*IX. p. 156. coll. c. XI. p. 244. asserimus deque assensu eo mi-*  
*nus dubitamus, quo magis probabile est, atris Diis, atrisque*  
*quas accipere victimis atratum quam optime convenire sa-*  
*tellitium, hocque revera evenisse dabunt sequentia.*

## §. VI.

ÆGYPTVS foecunda idolorum mater in scenam pro-  
 ducenda est omnium gentium prima, cuius incolae, cum in  
 facris suis, (ut verbis utamur IVL. FIRM. MATERNI  
*de Err. prof. Rel. Edit. cum M. MIN. FELICIS OCTAVIO*  
*per IOH. WOWERVM A. 1645. Lugd. B. 12. pag. 2.)*  
 addant tragica funera & funesta calamitatis metuendae certa-  
 mina, non atrum in iisdem quoque colorem admittere. Tra-  
 gicum huiusmodi funus, funestumque certamen prae caeteris  
 in cultu Isidis, & Osiridis autor declarat, cuius historiam,  
 dixerim fabulam, narrare nimis prolixum foret, narravit  
 vero integram A. KIRCHERVS *l. c. c. VIII. p. 223. sqq.*

B 3

Huius

Huius Isis, quam naturam rerum facit, habitum fufius depinxit APVLEIVS L. 11. *Metamorph.* quod inter alia ipfi fuerit pella nigerrima, splendescens atro nitore quae circumcirca remeans & sub dextrum latus ad humerum laevum recurrens, umbonis vicem deiecta parte laciniae multiplici contabulatione appendula ad ultimas oras nodulis fimbriarum decorites consuetuarit. Nigrae huius & funestae Isis cultui praecipue dicatos fuisse antistites, quos a nigro vestitu μελανόφορος appellavit antiquitas, solide probat STEPH. LE MOYNE *Epist. cit. p. 260. coll. 256.* ex inscriptione sacelli, quod ipse sacraerat THEOPHILVS aliquis μελανόφορος, & in tota hac eruditissima Epistola GISB. CVPERO, ad quem scripta est, dubium solvit, qui in *Harpoer. p. 128.* se ignorare confessus erat, quid sibi vox μελανόφορος velit, suspicatus tamen nec male, esse sacerdotem, qui id nomen a nigris vestibus acceperit, non secus ac πτεροφόροι dicti sint in Aegypto sacerdotes, quod πτερύγας habebant in capitibus. Respondet coniectura genio Aegyptiorum, quibus iudice KIRCHERO l. c. c. X. p. 234. erat non parva diligentia in eligendis victimis in singulorum Deorum sacrificia, cum aliae Deis bonis ut prodesent, aliae malis ne obsessent, caederentur. Nam malis nigrae bonis albae conveniebant, sterilibus steriles, ut Soli equus propter celeritatem &c. Solis dum meminit, huic quoque bovem nigrum immolatum fuisse commemorat EVSEBIVS *Praep. Ev. L. III. c. XI. init. p. 117.* qui Mnevis nomine caeteros magnitudine superavit colore nigerrimo, quod vehementioris solis ardor nigrorem humanis corporibus afferre soleat. Sic Apidem populorum omnium & potissimum Aegyptiorum numen ore Pomponii Melae definit idem KIRCHERS c. IV. p. 201. bovem fuisse nigrum certis maculis insignem, cuius fulgure concepti nativitas genti maximum festum dedit. Ut ad Isis & Osiridis revertamur sacra, utrique Melanophoros s. atratos quoslibet nomen primitus debere non male



male coniiicit laudatus STEPH. LE MOYNE *p. 261.* partim ex Isidis cognomine nigrae & Osiridis Etymologia Hebraea, partim ex Observatione PAVSANIAE, quod aliis fluminibus signa & simulacra albi coloris dicari consueverint, Nilo autem, ex Æthiopia menti, signa & statuæ consecratae fuerint lapidis nigri, quia aquis limosis nigredinem formantibus

- *viridem Ægyptum nigra foecundat arena.*

§. VII.

Ad GRAECOS cum theologia Ægyptiorum transierit, ut demonstrat EVSEBIVS *Praep. Ev. L. 11. c. 1. p. 45.* horum quoque in sacris nigrum viguisse colorem probatu facillimum erit. Ceres dearum maxima exemplum praebet evidentissimum, cuius festum, luctum nimirum illum carminibus hymnisque decantari solitum in Graeciam ex Ægypto a MELAMPODE Amythaonis filio traductum fuisse, Idem refert *l. c. c. 111. p. 63.* Haec eadem fuit cum Iside, haec *μελάινα nigra* dicta fuit, nigram quia sumserat vestem dolore & luctu ob raptam Proserpinam percita, huius nigrae simulacrum apud Phigalenos regnante Simo Phigali filio igne consumptum fuit; huiusque *Ξοανον* baiulabant, vel vestem ipsius aut peplum aut velum portabant, iure dicebantur *μελανοφόροι*, ut asserit, assertumque sufficienter probat nunquam in re antiquaria satis laudandus STEPH. LE MOYNE *Ep. cit. p. 260. sq.* Et quidni sacerdotes se accommodassent diis quorum in ministerio hostiisque seligendis omnem impendebant operam ut nihil adversum naturae ipsorum occurreret. Hinc terrae nigrae nigrum afferebant, *momente* Sibylla apud PHLEGON *de Longaeu. c. 4.*

• - αὐτῆ

- - - αὐθι δὲ γαίῃ  
 πληθογένῃ χάροις οἷς ἱερεύοιτο μέλαινα

*Atram frugiferae Tellure deinde dicabis  
 Gratus ovem - -*

Sic Menelaus foederis qualitatem sacraque religione confirmandi rationem Troianis iniungit ap. HOMERVM L. III. Iliad.

ἴσσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκόν, ἕτερην δὲ μέλαιναν  
 Γῆ τε καὶ ἡλίω. Δῆ δὲ ἡμεῖς ἴσσομεν ἄλλον.

*Afferre autem agnos, alterum album, alterum  
 nigrum*

*Terrae & Soli : Jovi a.† nos afferemus ali-  
 um.*

Quae optime exponit DIDYMVS : τὰ οἰκεία ἑκάστῳ θεῷ ἱεργὰ γέμενα εἰσάγει. Γῶ μὲν γὰρ ἡλίω λαμπρῶ ὄντι, καὶ ἄρρηνά φησι λευκὸν ἱεργὴν γῆναι ἄρνα. Τῇ δὲ γῆ, μέλαιναν καὶ θηλείαν ἐπεὶ τοιαύτη ἡ θεὸς. *Sacra inducit, quae erant propria unicuique Deo : Soli quidem splendido agnum masculum & album sacrificamus ; terrae autem foeminam, eamque nigram siquidem talis Dea erat : Nec aliter Neptuno Deo marino*

- - ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερα ῥέζον  
 ταύρως παμμέλανας ἐνοσίχθονι κυανοχαίτη

- in

- *in littore maris sacra faciebant*

*Tauros totos nigros Neptuno coeruleo capillicio*

HOMER. *L. III. Odyss. init.* Nec ingrata Diis, ut credebant, munera erant, unde factum, ut Cyzicenis carentibus bove nigri coloris foemina pro sacris Palladis, e pelago haec occurrerit, & ultro claustra aditus templumque ingressa ad altare constititerit, quam summa spe Deae immolaverint, obseruante autore TIRAQVELLO *in Annor. ad Al. ab Alexandro Dier. Genial. L. III. c. XII. p. 356.* Maxime omnium a. Diis inferis, nigrisque nigrum conveniebat, hinc Æneas in avernum descendens

*Quatuor hic primum nigrantes terga iuencos  
Constituit. - - -*

*- - - Ipse atris velleris agnam*

*Ænas matri Eumenidum, magnaëque sorori  
Ense ferit.*

VIRGILIUS *Æncid. l. VI.* Tantopere itaque solliciti de victimarum colore nigro, nigrum quoque antistites amictum pro circumstantia rerum non neglexisse admodum probabile est.

### §. VIII.

De Romanis certo certius esse videtur, ipsos in exter-  
no deorum dearumque cultu ad exemplum Graecorum, alia-  
rumque gentium non abhoruisse, quo minus nigras diis vi-  
ctimas nigrumque habitum adscribentes, sacra quoque ab  
atratis fieri legibus sanciverint. De victimis nota est *lex.*  
*XII. Tabul. C de Host. & Obs. Sac. Tit. I. de Relig. Quae*  
*C* *cuique*

*cuique Divo decorae, gratae sint hostiae, providento.* Hanc observatam canit OVIDIVS L. VII. *Metam.*

- - *statuitque aras e cespite binas,  
Dexteriore Hecates, & laeva parte Juventae:  
Has ubi verbenis silvaeque incinxit agresti,  
Haud procul egesta scrobibus tellure duabus  
Sacra facit, cultrosque in guttura velleris atrii  
Coniicit & patulas perfundit sanguine fossas.*

Sic Saturno bovem fulvum & nigrum a Romanis oblatum annotat ATH. KIRCHERVS *Oed. Aeq. T. I. Synt. III. c. X. p. 238. sq.* nigramque pecudem Plutoni iuxta illud TIBVLLI:

*Interea nigras pecudes promittite Diti  
Et nivei lactis pocula mista mero.*

Forte nigredinem hostiarum suavitatis habitus niger dignitati inferiorum deorum maxime proprius, ut eo convenientibus nigrum pecus oblatum fuerit eidem Plutoni, cum in raptu Proserpinae curru equisque nigri coloris vestus credatur. Vid. FRANC. POMEVS *Panth. Myth. P. IV. p. 199.* Nec diis coelestibus, & superis adeo adversus fuit hic color, ut si quid nigri praeferebant formae dedecus paterentur. Ipsa Venus venustatis dea purpuream trahens chlamydem apparebat

- - *obscurio faciem circumdata nimbo*

i. e. nigro, ut VIRGILII mentem exponit cel. B. D. GE. WOLFG. WEDELIVS *Exerc. Med. Philol. Dec. VI. Exerc.*

*Exerc. IX. p. 51.* Nigrum itaque diis praecipue inferis habitum non detrectantibus, cur detractassent ipsarum antistites? En satellitium nigrum Bellonae, cuius interprete SILIO L. V.

*Stridit tartareae nigro sub pectore Divae  
Lethiferum murmur.*

De ministris his Bellonariis monet TERTVLLIANVS de *Pallis L. I. c. IV. §. 8.* quod tenebrica veste & tetrico super caput vellere in Bellonis montes fugentur, nimirum paraphrase Editore. IOH. LVD. DE LA CERDA *ad L. c. Tom. I. Opp. p. 25.* huius Deae ministri tenebricosam furvamque vestem gestantes & tetricum ac nigrum supra caput velus, fugabantur in montes, i. e. effero habitu efferos mores ostendentes *non alieno*, ut loquitur LACTANTIUS L. I. XII. *sed suo errore sacrificant; sellis namque humeris & utraque manu districulos gladios exerentes currunt, efferuntur, insaniunt.* Sit ita praevaluisse albarum usum vestium apud Romanos, nigras tamen haud raro funesti requirebant casus & sacra luctuosa, in quibus valebat illud SENECAE *Oed. III, 1.*

*Vates amictu corpus & frontem quatit  
Lugubris imos palla perfundit pedes.*

Plura enumerare brevitatis studio prohibiti adlicimus nigra & tenebricosa Lemuralia Romanorum verbis ALEX. AB ALEXANDRO *Dies Gen. L. III. c. XII. p. 355.* *In Lemuralibus fabam noctu iacere usurpatum est, Lemures ex domo eicere clamantes: quam nigram esse convenit: ipsamque lotis manibus & pede nudo per ora versare & post terga reitcere, aerisque tinnitum facere, utque Lemures fabis redempti domo abirent, no-*  
C 2 *vies*

vies orare. Idque Maio Mense tribus noctibus fieri, donec salutis religione animis, manes expiatis ducerent.

## §. IX.

Sacra, quae hodie nigro vestitu peraguntur in partibus infidelium, nos, quibus ad caetera quae supersunt, prope-  
randum est, parum morabuntur, eoque minus, quia scriptis hodoeporicis singula eruenda forent suspectae plerumque fi-  
dei & fabulosae, dum autores relata saepe referunt, quaeque minus recte viderunt ipsi, aliis quoque minus recte persua-  
dere conantur. Dimittimus itaque lectorem ad I O. C A S P. K R A V S I I Disp. sub accersu citatam, ubi e. II. §. 2. p. 19. paucos Gentilium tristi colori huic in sacris studere observat, si, ut ait, *idololatras Malabaricos qui in cultu suo se nigerrimos, diabolum vero album reddunt, item palliis & vestibus nigris vestitos Chinesium, & Japoniensium sacerdotes, Bonzier ditos & qui idolo suo Feloko porcum nigrum, tresque gallinas nigras pro victimis offerunt, Peguanos excipias.* Quae singula ex autoritate ROSSEI de *Relig. Mund.* eiusque Commentatoris Nerreteri nec non ARNOL. MONTANI *Legat. Japon.* I. evincit. Caeterum cui volupe est nosse partim Indorum mores, quomodo cum dies augeri incipiunt, rex equos taurosque nigros diis immolet, quia nigrum albo ab ipsis praefertur sanctiusque ducitur; partim Saracaenorum singulare idolum marmoreum nivis instar candidum, quod dum adoratur sicut pix nigrescit: conferat de hoc IOH. SAVBERTVM de *Sacrif. c. IX.* p. 196. de illo ALEX. AB ALEXANDRO *Dier. Gen. L. IV. c. XX. p. 579.*

## §. X.

CHRISTIANI, qua libertate in rebus adiaphoris concessa albas vestes ad exemplum ecclesiae primitivae in sacris retinere, eadem nigras in iisdem pro varietate circumstantiarum sive loci sive temporis usurparunt haud raro hodieque  
rite

rite usurpant. Ad minimum Evangelici, qui albarum ceremoniam post discessum ex tenebris P. palibus in suggestu atque ad altare continuant, neutiquam damnant ecclesias socias, in quibus eadem evanuit, suoque ordinario habitu, & quidem nigro sacerdotes munus suum peragunt. Romano-Catholicis colorum ratio in sacris habetur quam solentissime, iniungitque *MISSALE ROMANVM Rubr. XIV/III.* ut quinque coloribus, quorum quisque festo vel officio conveniat, altaria exornent, albo scilicet rubro, viridi, violaceo, & nigro, ita ut nigro colore utantur feria sexta in Parasceve, & in omnibus officiis & Missis defunctorum. Quis nescit ritum hunc in vestiendis altaribus nostram quoque observare Ecclesiam, cui nullus hac in re color, salvis modestiae legibus interdictus est, niger autem tempore luctus, quaeque huic respondet, poenitentiae nunquam non perplacuit. Et quidni placeret veteris & novi foederis mores ingenuos imitari. Innumera Hebraeorum exempla ut silentio praeteream, de Ninevitis egregie canit *PRVDENTIVS Cathem. Hym. VII.*

*Squalent recincta veste pullati patres  
Serasque plangens turba sumit textiles.  
Impexa villis virgo bestialibus  
Nigrante vultum contegit velamine.*

Exemplum extraordinarii luctus, quia de ordinario nullum est dubium, nigris vestibus in Ecclesia primitiva denotati, praebet *ACACIVS* Patriarcha Constantinopolitanus, cuius de reiecta synodo Chalcedonensi luctum nigricantem describit *THEODORVS Hist. Eccl. L. I. Basiliscus generali sanctione Chalcedonensem reiici iussit. Operam autem dabat, ut idem quoque faceret Acacius, verum id perficere nullo modo potuit; cum universa civitas tam homines quam foeminae in ec-*

*oliam conveniens Basilisco obstitisset. Quin etiam Acacius semet ipsum & cathedram, atque altare nigris vestibus obtexit.*

## §. XI.

Sacerdotum in ecclesiis tam Protestantium, quam Romanensium nigra concio omnium ante oculos versatur, ut sole lucente lucernam videatur accendere, qui usum vestium nigrarum ex moribus singularum gentium ipsis proprium esse demonstrare vellet, nec opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Antiquitatum vero monumenta, qui hactenus evolvimus, evolvemusque in sequentibus, ne nobis, quod saepe accidit, antiqua aestimando contemptui esse dicantur hodierna, duo hic, paucis tamen, sub incudem vocanda duximus. *Prius est*: Quibus sacerdotes nigrum hunc debeant colorem, & quo potissimum tempore invaluerit? Qui vestigia legere vellet Pontificiorum, quibus Apostoli in albis ministrasse creduntur, hos nigro incesisse amictu quotidiano credulus asserere posset, sed vereor ne Æthiopem lavaret, eadem fide dignus, qua lusus ingenii *Joh. Feronis* Juriconsulti Parisiensis, tribuentis Adamo insigne rubrum, quod pomum continuerit nigrum, in memoriam & originis e terra rubra & lapsus gravissimi. Vid. DIETHERRVS in *Addit. ad Besoldi Thes. Pract. voc. Adam f. 671*. Hoc extra omnem dubitationis aleam positum est, originem nigredinis in palliis clericorum non ad certum referri posse autorem, non ad certam, fixamque temporis periodum, sed successivam esse, ut plerique gentium mores, quacunque occasione prognati successu demum temporis tacitum, communemque consecuti sunt assensum. Tantum abest, ut Christiani olim sub persecutionibus splendidis vestibus se exornarint, ut potius vili habitu usi fuerint, & quidem frequentius pallio distincto a toga, haec quia signum nobilitatis, illud paupertatis habebatur. Quemadmodum a. omne pallium veterum Christianorum nigri coloris fuisse IOACH. HILDEBRANDO in



in *Ritual. Bapt. vet.* ex editione D. IOH. AND. SCHMIDII p. 14. absolute subscribere nolumus, multo minus assentimur IOS. VICCOMITI DE BAPT. L. II. c. 22. universum omnibus catechumenis hoc indumentum fuisse, quem solide refutat IOH. LVD. DE LA CERDA *Not. ad Tertull. L. I. c. IV. fin. de Pallio Opp. p. 39.* Ita facile largimur asceticam qui sibi elegerant vitam, elegisse quoque habitum vilem quod Christiani erant, viliorem aliis, aliis quod austerius vitae genus amplectebantur, donec fastidium coloris purioris praestantiorisque, ex fusco nigrum atrumque pareret amictum, qui signum esset evidentius poenitentiae, mundi-que contemptus. Quod itaque primum fuit voluntatis, factum dein necessitatis, ut sacerdotes eiusdem regulae eiusdem quoque habitus esse teneantur, quibus in eligendo olim colore, modo non splendido, plenaria fuit libertas, teste ROD. HOSPINIANO, qui de *Orig. Monach. L. VI. c. 77. 201.* hodiernum dum monachatum a veteri illo plurimum differre docet, undecimam facit differentiam quoad habitum peculiarem & ex *Epist. I. BASILII* (quam vide *Opp. Tom. III. Edit. Paris. p. 42.*) ad *Gregorium* Theologum probare fatigit, monachos in eodem etiam coenobio varii coloris & generis vestitu sub initium usos fuisse. Sed quo tandem aevo, fuscus & abiectus quicumque color in nigrum degeneravit, hicque prae caeteris vitae sanctitatem profitentibus in legem abiit? Nisi omnia nos fallunt. *Constantini M.* aetas huicque proxima plures alios ut ritus ita & hunc in ecclesia progenuit. Consentientem habemus rituum ecclesiasticorum solertissimum & felicissimum interpretem CASP. CALVÖRVM *Ritual. Eccl. P. II. Sect. III. C. XXVIII. p. 516.* Post *Constantini*, inquit, imperia, ubi monachatus invalescebat, nigra indumenta apud ecclesiasticas personas inolevisse arbiroy: Coenobitae enim, uti non mundo & gaudiis, sed sacro luctu vivere videri volebant, ita obscuras vestes istiusmodi luctuosae vitae generi convenire arbitrabantur. Omne abhinc seculum quantae fuit fieri-

sterilitatis in excolendis bonis literis, tantae ex adverso & maioris fuit fertilitatis in explendis claustris monachalibus, donec illae horum sub obscuris palliis tantum non penitus obfuscarentur. Stabulum nobis Augiae purgandum esset, inutilisque labor nostros excederet cancellos, si selectum facere cuculorum deberemus, nigrumque ab albo distinguere. Talia, quem nosse iuvat, triplicis idiomatis scripta volvat, revolvatque, latinum IOACH. HILDEBRANDI de *Religiosis eorumque variis ordinibus*, 701. Helmst. 4. Germanicum IOH. ADAMI LONICERI von *Ständen und Orden der 3. Römischen Catholischen Kirchen* 585. Erf. 4. Gallicum denique BONANNI HERMANT. SCHOONEBEK. HELROT. aliorumque sub titulo: *Historie de Clergé Seculier & Regulier des Congrégations de Chanvines & de Cleres, & des Ordres Religieux de l'un & de l'autre Sexe, qui on été établis iusqu'à présent*. 1716. Amst. 12 Vol. IV.

## §. XII.

Posterius quod de nigro clericorum colore inquirendum nobis sumimus problema est: Quo iure sacerdotes nigrum hunc sibi habitum elegerint, suumque fecerint Protestantes, quem e sacris sui populi quondam proscripsit divina Maiestas, quem idolorum olim, hodieque infidelium foverunt, foventque sacrificuli & haereticae pravitatis rei non pauci? Agitata lis haec iam sub finem seculi quarti fuit, aut quinti initio inter Sisinnium & Arsacium Episcopos, nigrarum hunc, illum albarum vestium promachos, quam lectu dignissimam tradit SOCRATES *Hist. Eccl. L. VI. c. XXII*. Cum Arsacium honoris causa inviseret Sisinnius, e quibusdam Arsacii familiaribus interrogatus, cur vestes Episcopo minime convenientes gestaret, & ubinam scriptum esset sacerdotem alba veste indui debere, respondisse fertur: Tu prior mihi dicas velim, quo in loco scriptum sit, Episcopum atra veste uti debere. Cumque is, qui interrogaverat, ad contrariam interrogationem haereret, subiicit Sisinn-

*Sifinnius* : Tu quidem ostendere nunquam poteris, sacerdotem debere atris vestibus indui : Me vero Salomon adhortatus est dicens, sint tibi vestimenta alba. Et Servator noster in Erytiis alba veste usus esse deprehenditur. Moysen etiam atque Eliam aibis indumentis vestitos suis Apostolis ostendit. Sed nimium ne crede colori, qui in gratiam novaturientium zelo abreptus Sifinnii, nigris sacerdotes vestibus exuere sustinere velles & atratos promiscue odio plusquam Vatiniano profsequi. *Sifinnii* rationes leviores sunt, & si quem habent valorem, unice evincunt, potuisse se ipsum sine graviore, quam subiit reprehensione albis uti, cumque exempla non probent, sed saltem illustrent, nec vim legis habeant, hanc constituenti inversa Sifinnii quaestio proponi commode possêt : Tu mihi prior dicas velim, quo in loco scriptum sit Clericum atris veste uti non debere ; haerentique subiici : Tu quidem ostendere nunquam poteris sacerdotem non debere atris vestibus indui. Accedit differre statum controversiae qui hodie est ab illo qui Sifinnii & Arsacii asseclis fuit. Nam horum tempore nondum receptus erat ab omnibus niger vestitus, qui dum hodie obtinet, quaestio potius foret, an sine novitatis & superstitionis macula idem immutari possêt aut debeat ? Si Deo non displicuit in cultu Levitico color albus, hoc nihil obstante, quod gentiles in sacris suis eodem uterentur, quid obstat, quo minus Evangelio atrati serviant, non veste eiusque colore sed doctrina huiusque puritate discernendi ab illis qui in tenebris traditionum oberrant. Coronidis loco de pileo, qui in alma hac nostra quidem violaceus, sed in aliis niger doctoribus Theologis imponitur, quaedam dicenda forent, sed cum praeter spem diutius nos detinuerit sacer nigrarum vestium usus provocamus ad THEOPH. RAYNAVDI Tr. de Pileo, ubi Sect. X. Edit. Lugd. p. 104. sqq. & Thef. Graev. T. VI. p. 1271. prolixius eundem inquirat.

## SECTIO II.

DE

## PROFANO VESTIVM NIGRARVM VSV.

§. I.

**Q**uod vela contrahamus in alto adhuc mari constituti, nemo mirabitur, qui perpenderit portum sero nos attingere posse, si ventis etiam secundis ad oras singularum nationum, qua patet orbis, appellere esset animus. Animo interim composito, studioque, nec praecipitante calamo factum est, quod plurimam sacro vestium nigrarum usui operam impenderit, leviolem profano, quanto scilicet magis interest nosse sacra quam profana, quantoque alter altero praestantior est usus, quem in selectu sacrarum vestium ratio aliqua determinavit, in amictu profano mera ut plurimum consuetudo sine praegnantia saepius causa produxit. Quo vero nigrum cum rubro conveniat, in quo *usum vestium nigrarum* in genere promissimus, promissi stamus profanum quoque, quo coepimus ordine paucissimis daturi.

§. II.

HEBRAEI si non omnem detestantur colorem nigrum, luctuosum tamen faciunt, signumque moeroris sive publici sive privati. Vnde atratum esse in S. literis varia significat, atque allegorice in inanimatis usurpatur

locu-

locutione ex eo sumpta, quod atraro vestitu aut obscura sive tristi facie, afflicti & lugentes dolorem suum testari solerent, ut loquitur PETRVS RAVANELLVS *Bibl. S. P. I. voc. Atraro. p. 157. a* Hinc prohibent lugenti induere se vestibus dealbatis, vid. BVXTORFIVS *Lex. Talm. col. 396.* & angelus nigredinis mors audit, quod faciat nigrescere faciem hominis, aut ut omnia nigra & obscura ipsi sint. *Idem l. c. col. 2372.* Summum olim luctum exprimebant sacco, cuius non tantum usum varium exponit praeter IOH. HEN. HOTTINGERVIVM in *Noris ad GOODWIN. Mos. & Aaron L. VI. c. V. §. 18. p. 20.* citatus RAVANELLVS *Bibl. S. P. II. voc. Sacc. p. 506. sq.* sed & proprietatem eius praecipuam constituit, quod *niger* confecturus fuerit ex *cilicio i. e. nigris hircorum pilis vel nigris equorum setis.* Quod tamen de omnibus absolute an affirmandum sit, in medio relinquimus, ad minium semper nigrum magis nunquam album vel alium quemcunque colorem puriorem habuit. Mortuos sepulchro mandant albis vestibus, cumque de mortuis nil nisi bene naturalis aequitas suadeat, exempla nulla vel rarissima prostant limitationis MENASSE BEN ISRAEL *de Refur. Mort. L. II. c. VI. p. 106.* quod antiqua consuetudo fuerit sepeliendi mortuos albis vestibus indutos, qui nomen honesti & probi viri meriti erant; eos vero qui nomine isto viri probi indigni erant vestibus nigris. Sane exemplum R. Iohananis ad quod provocat vestes sepulchrales flagitantis tinctas colore *Derocae*, dubiae imo sublertae fidei est. Nam vestes *Derocae*, quae in aliis locis Talmudicis *Vliarim* audiunt i. e. subrufae ex sententia SEB. MÜNSTERI aut balneatoriae iuxta alios apud IO. BVXTORFIVM *Lex. Talm. col. 98.* plane coeruleas fuisse demonstrat SAL. DEYLINGIVS *Obs. S. P. III. Obs. XLIX. p. 384.* Et cur nigras eligendo se ipsum damnasset de salute R. Iohanani, ut posita proborum & improborum in veste sepulchrali differentia, inter medium colorem interpretari autor omnino debuisset. Adhuc hodie Iudaeos inter

viget opinio luctui nigrum convenire habitum & colorem, hac de causa quoque atram umbellam vel cucullum (*Matron vocant vulgo inter lugentium sponsus in capite gestat; Sponsa vero pullo palliolo caput involutum habet; (tam apte & decenter, ut nullo alio μορμολυκείω pueris terrendis opus sit)*) hoc signo innuentes se in summis suis festiuitatibus animo semper moesto esse debere propter urbis & templi desolationem, ut ait IOH. BVXTORFIVS *Synag. Jud. c. XXXIX. p. 636.* Eundem ritum, quodque eadem de caula in dealbandis aedibus nigram relinquunt maculam, annotat ANT. MARGARITHA *Jüd. Gläub. c. XI. p. 100.*

## §. III.

GRAECOS & quidem ingenuos horumque honestiores tantum in alba veste, opifices vero, sellularios populique faeces ferme in sordidis nigrisque vestibus conspiciendos fuisse autor est OCTAV. FERRARIUS *de re vest. P. II. L. IV. c. XIII. p. 165.* Hinc Andronico cum creatus esset Imperator, detractum esse pullum & acutum pileum rubramque capiti eius mitram impositam fuisse, testimonio Nicetae confirmat THEOPH. RAYNANDVS *de Pileo Sect. IX. p. 99.* Saepe etiam sub sordido palliolo ingens latebat sapientia, cum Philosophicum tribonium rude ac detritum palliastrum esset & ferme pullum, cuiuscunque fuerit formae, quam non minus ac colorem sollicite inquirat FERRARIUS *de re vest. P. I. c. III. P. II. L. IV. c. XIV. & c. XVII.* Tempore Luctus Graeci ad morem plurimarum gentium incedebant atrati, sicut apud Euripidem *Helena*, cum esset simulatura luctum ob Menelaum maritum defunctum dicebat: *Mutabo vestes candidas cum nigris*, verba sunt RAVANELLI, *Bibl. S. P. II. voc. Vest. p. 815. a.* Apud Spartanos filii tecto capite in veste pulla parentes efferebant. CALVÖR, *Ritual. Eccl. P. I. L. III. Sect. II. c. XXI. p. 903.* *Qui etiam c. XXIX. p. 924. ex Carthaginensium more, quo insigni clade affecti ipsos muros pullo*

pullo circumdabant panno, ritum hodie optimatum palatia panno atro vestiendi derivat. Et quis omnem nigri coloris usum apud Graecos delinearet, qui & iure militari non defuit, cum Herculis in scuto, quod albo ebore & electro subsplendidum erat, nigros discurrisse circulos ex descriptione Hesiodi referat cumque Achillis scuto conferat FORT. SCACCHVS *Sacr. Elaeogr. Myroth. III. c. XXIII.* p. 396.

## §. IV.

ROMANORVM de vestibus quid dici valeat non video, quod dictum non sit ab OCT. FERRARIO *de re vestiar. Edit. 654. Patav. 4.* qua usi sumus, & in GRAEVII *Thest. Ant. Rom. T. VI.* qui utriusque sexus, cuiuscunque status rationem habuit nec formae, nec coloris ubique immemor, ut ducem hunc tuti sequamur, cui palmam reliqui rei vestiariae scriptores concedunt, quorum consensum superaddere superfluum foret. *Tunica* honoratiores alba utebantur, homines e plebe qui erant, pulla, vel quod initio albae longo tamen usu tantum sordium contraxerint, ut pullae viderentur, & hinc pullata turba dicta fuerit, vel quod plebs minuta pro tunicis albis colorem hunc pullum usurpare coeperit, ut exponit iam aliquoties nominandus FERRARIUS *L. c. P. I. L. I. c. 35. p. 103. coll. Ei. Anal. c. VII. fin.* Servi itaque privatorum in tunicis pullis, ex lana scilicet Pollentiana, quae pulli coloris erat, confectis *P. I. L. III. c. IV. p. 184. coll. P. II. L. II. c. VIII. p. 89.* *Lucernae* atrii coloris non tantum servorum fuere, sed & liberorum *P. I. L. III. c. XXIV. p. 259.* viliorum tamen ac pauperum *P. II. L. I. c. I. p. 4. c. XXIII. p. 48.* ideoque *Lucerna* Horatii pulla in concione candidatorum nive dealbata derisui erat. *l. c. c. IV. fin. p. 10.* Conf. CASP. CALVÖR, *Rit. Eccl. P. II. S. III. c. XXIV. p. 488.* *Paennula* fusca plerumque & pulla erat, *P. II. L. I. c. XXV. p. 56.* Nec tamen dedecori, utpote  
D 3 quam

quam ipse Tiberius induit, aliis ut exemplum daret a purpureis vestibus abstinendi. *P. II. L. II. c. II. p. 69., & c. VIII. p. 89.* Cucullum eumque pullum non servorum modo, sed ingenuorum quoque fuisse Macvius, homo liber suggerit exemplum, qui pullo algebat in cucullo. *P. I. L. III. c. XXIV. p. 259. & P. II. L. I. c. XXII. p. 45.* Conf. TH. RAYNANDVS de Pileo *Sect. XV. p. 154.* Calceos nigros ingenuorum & nobilium fuisse, quibus se a servis albos habentibus distinguebant, ipsi non attinet quid dicere & crambem, ut loquitur, bis coctam apponere *P. I. L. III. c. XXIV. p. 258.* Vnicum ergo testimonium sufficiat IUVENALIS *Sat. VII.*

- - - - - *Nobilis & generosus*

*Appositam nigrae Lunam subrexit alutae.*

Nec multa credimus nos attinet dicere de nigro foeminarum habitu, quem idem autor solertissimus inquirere non praetermisit, atque ut chlamydem libertinis atram male adscribi. *P. I. L. III. c. XVII. p. 226.* ita togam atram ancillarum vilioribus quoque foeminis propriam esse potuisse defendit. *P. I. L. III. c. XXIII. p. 253.* Caeterum Romani in luctu itidem atrati inceserunt *P. I. L. I. c. XXIII. p. 71. sq.* extra hunc equites nunquam atrati *P. I. L. I. c. XXVI. p. 82.* & senatores luctus causa togam cum pullis lacernis s. paenulis permutabant. *P. II. L. I. c. II. fin. p. 7.*

§. V.

GENTILIVM ex reliqua turba seu veterum seu recentiorum ut aliquos producamus, primum nominandos putamus, quorum ALEX. AB ALEXANDRO meminit. Sunt vero THRACES qui pullas induti tunicas in aciem prodibant *Dier. Genial. L. I. c. XX. p. 75.* Apud TAPYRAS, BASTERANOS & IBEROS, incultasque nationes, circa Hyrcaniam, viri atras induebant vestes *L. V. c. XIX. p. 740.*  
DAV-



DAVNII, ut orbatos se patria & fortunis indicarent, illuc post Troiae everfionem delati vestes pullas & lugubres aufumferunt mares & foeminae. *L. c. p. 741.* BOREALIVM aliquot populorum atratum luctum recentet CASP. CALVÖRVS *Rit. Ecol. P. 1. L. III. S. 11. c. XXIX. p. 927.* VANDALOS nigro non abstinuisse docet nos in conviviis pateram Deo bono alboque dicto *Belbuch* consecrandi. Vid. IO. SAVBERTVS *de Sacrific. IX. p. 195.* TVRCAE quanquam nigrum colorem luctuosumque averfari videantur, ut male tulerint aliquando Bassae nigro habitu accessisse BVSBEQVIVM, *vid. Et. Epist. Turc. p. 66.* virginum tamen faciem futuro etiam sponfo praesente, nigro & pellucido velo tegunt. SWEIGER, *Itin. L. III. c. LXI.* PERSAE posteris Ali quem non procul a Deo esse pronuntiant, interdixere me amplius pulgine vestirentur. IO. HEN. HOTTINGERVVS *Hist. Oricat. L. II. c. VII. p. 595.* E contrario IAPANENSIVS summo in honore est habitus niger. ER. FRANCISCI *Lust. Schaub. P. 1. Conv. 1. p. 167.* Apud Sinenses magistratum gerentibus & pileus e vilo nigro, utrinque velut duas alas habens. NIC. TRIGAVLTIVS *Exped. Sin. L. I. c. VI.* PERVENSIUM viduis ante finitum nigro habitu luctum annum secundae nuptiae interdictae sunt. DAPPER, *Americ. p. 342.*

## §. VI.

Littora non nisi extrema gentium exterarum qui lambimus Charybdim vitando Scyllam incideremus, si oras peragrarerem vellemus omnes & singulas *Christianorum*, qui nigro in habitu extra & intra luctum tantum non ubique conspicendos se praebent. Pharo hic opus est, cuius vicem merito sustinet ad minimum aevo, quo vixit CAES. VECELLIVS *in Lib. de Vestiu antiquor. recentiorumque totius orbis per SVLSTATVM GRATILIANVM ex Italico Latine translato & edito 589. Venet. 8.* ubi singulae paginae effigiem cum descriptione Italica & Latina exhibent atque *Libris XII.* vestibus Italorum, Gallorum, Hispanorum, Anglorum, Septentrionalium

nalium, Germanorum, Polonorum, Turcarum, atque Graecorum, Vnganorum, Africanorum, Asiae denique & Americanorum fatis accurate conspicitur. Huius aut epitomatorum aut interpretem, aut continuatorem agere tantum requireret spatium quantum absolvimus, nec credo ad omnium palatum foret, plurimis levitatem argumenti exprobraturis, quod mores, qui cuique patent, qui in area eademque natione multoties variant, qui denique inconstantes sunt, delineare audeamus. Coronidis loco, ut aliquid moneamus *Hispanorum*, quibus lana nativa nigri coloris copia est, teste PLINIO *Hist. Nat. L. VIII. c. XLVIII.* gravitati arripet niger habitus adeo, ut ad Regis conspectum legati exteriorum sine hoc non facile admittantur. BECMANN. *Nocht. Dign. Illustr. Diss. VI. c. II. th. 10. p. 173.* GALLORVM levitati idem non displicet, si simul luxui respondeat, hinc praesides in supremis curiis gerunt, gesseruntque ipsi olim reges, pileum forma mortarii ex nigro heteromallo villosa contextum TH. RAYNANDVS *de Pileo Sect. IX. fin.* Edit. in Graec. *Thes. Ant. Rom. T. VI. col. 1270.* Horum mores imitari qui toti student GERMANI omnem animo, vestibus nullam produnt constantiam, quarum & formam, & colorem variant summopere, ita tamen, ut nigrum habitum in laeto pariter ac tristi casu honoratoribus non denegent, si eum observare velint ad exemplum advocatorum, quibus nigrum colorem vestium in signum firmitatis, ac perseverantiae maxime convenire vult MAGON: *de reſta Patroc. Rai. c. III. n. 56. & 51.* non ubique tamen evenire experientia docet viciniam si excipias, ubi regio mandato iisdem haud ita pridem de novo iniunctus est.

TANTVM!

COL-

COLLECTIO  
TESTIMONIORVM  
ACADEMICORVM.

(\*) Tergum facte de Reformatione Lutheri, unum ad Germaniam  
Concordans, aliq. pag. de sub moderamine Joh. D. SCHMIDII Jan.  
quod Respondet de Consensu Ecclesie, cum Ecclesia Angl.  
in Italia.

## LECTORI BENEVOLO

SALVTEM ET OFFICIA.

**P**etiit a me Vir Clarissimus Dn. M. GOTHOFREDVS CHRISTIANVS GOETZIVS, Annemontanus, Reu. Ministerii Candidatus, ut, quam in Academia Lipsiensi instituit, & per annos sex cum dimidio commorando apud nos diligentissime seruavit, vitam ac studiorum rationem solenni testimonio confirmarem. Id ut facerem, eo libentius animum induxi, quo clariora sunt documenta, quibus bonae mentis indolem & in colendis diuinioribus literis industriam singularem cum aliis, tum mihi is etiam approbavit. Quemadmodum enim eo consilio huc accessit, ut in omni theologiae doctrinae genere erudiendum se Doctoribus traderet, ac necessaria adeo futuro ecclesiae ministro praesidia sibi compararet; ita nihil reliqui fecit, quod ad scopum hunc obtinendum ullo modo pertinere arbitratus est, nec Vacunae unquam litavit, sed coelesti sapientiae assiduam operam dedit. Me ipsidem in exegetica, cum primis theologia elegit ducem, ac praeter alia, Diui Johannis Evangelium & Pauli ad Titum Epistolam enarrantem publice audivit. Jam vero, qua ratione in illis, quae didicit exercere se ipsum instituerit, ingenique vires & disputando(\*) &

---

(\*) Tanquam Praeses de Reformatione Lutheri, usque ad formulam Concordiae, Lipsi 1714. & sub moderamine Dn. D. SCHMIDII tanquam Respondens de Conformitate Ecclesiae, cum Ecclesia Apostolica.

& perorando, (\*) & sacras saepe multumque habendo con-  
ciones & varia elucubrando scripta fuerit periclitatus, cum  
rerum testimonia adsint, idemque edita ab ipso loquantur in-  
genii monumenta, non opus est, ut ego pluribus exponam.  
Quae quidem omnia, non ignaviter illum res suas egisse,  
optimumque Parentem, Magnificum & Summe Reveren-  
dum Sacrorum apud Lubecenses Antistitem, vestigiis ipsius  
persequi laborasse declarant, tum vero spem faciunt certis-  
simam, fore, ut uberrimos studiorum suorum fructus sit  
percepturus. Quod ut annuenti coelesti gratia, faventi-  
busque Patronis auspiciato ei obtingat, ex animo precor.  
Dabam Lipsiae Cal. Martii 1726.

(L. S.)

D. Christian Frieder. Boerner  
S. Th. Prof. Primarius & Cano-  
nicus Eccles. Cathedr. Misnensis.

(\*) Sub praesidio huius Viri Magnifici, de Hymnopoëis latinis Nativi-  
tatem Salvatoris illustrantibus, brevi Oratione Solemni Festivi Fer-  
I. Nat. in templo Paulino 1720. hab. & Numb. 1721. 8v. ed. prae-  
misso eleganti Programme Academico in Joh. I. 14. Verbum ca-  
ro factum est, Lips. 4t. pl. 1. ed. a. ex Act. I. & 15. A. 1724.

Clarissimum Virum Juvenem, Dn. M. GODOFREDVM  
CHRISTIANVM GOETZIVM, Annamontanum,  
quamdiu in hac alma vixit, studiis diligentem navasse ope-  
ram, eruditionemque suam, quam in Philologia non minus  
quam Theologia sibi comparavit, speciminibus aliquot in lu-  
cem publicam editis Academiae nostrae exposuisse, nec non  
promptam in dicendo facundiam multoties ex Umbone sacro  
verba faciendo Auditoribus suis probasse, vitamque Reve-  
rendi Ministerii Candidato dignam vixisse, hoc ἰδιωγράφῳ  
testor, eundemque benevoli Lectoris benevolentiae ac favori  
optima de nota commendatum cupio. Dabam Lipsiae IV.  
Non. Augusti A. O. R. cmocccxxv.

(L. S.)

D. Johannes Schmidius, P. P.  
& Academiae Lipsiensis Senior.

---

Album hoc offerenti, Dn. GODOFREDO CHRISTIANO  
GOETZIO, ingenuarum Artium Baccalaureo, post fa-  
ctam, ex voluntate Superiorum, explorationem, datam esse  
potestatem, concionandi in Ecclesiis, meae fidei commissis,  
his literis facere testatum volui. Iteburgi d. XXVI. De-  
cembr. MDCCXXI.

(L. S.)

Christoph. Henr. Zeibich, D.

LE-

LECTORI BENEVOLO SALVTEM

ATQVE OFFICIA.

**A**dprobavit nobis iam anno huius seculi undeuigesimo atque uigesimo suam, quantum quidem scire datur, attentionem atque industriam in Recitationibus nostris sacris publicis cum Exegeticis in Psalmos Daudis, tum Pastoralibus praesentium lator Dn. M. GOTTFRIED CHRISTIAN GOETZE, Reuer. Minister. Candidat. Quod, si uti spes est, in reliquis diuini disciplinae partibus rite excolendis suo munere & uerbum diuinum sedulo meditando, & quod nobis potissimum est, ad eius praescriptum vitam suam attemperando, fuit perfunctus, eundem salutarem quandoque ecclesiae nostrae daturum animi curatorem nulli dubitamus. P. P. Lipsiae d. XXVIII. Februar. 1726.

(L. S.)

D. Joh. Gottlob Pfeiffer P. P.  
mpp.

E 3

LE-

LECTVRIS CVM DEBITA HONORIS  
PRAEFATIONE SALVTEM !

Vixit aliquando mecum, (\*) quum Catechetæ ad D. Petri munus hic Lipsiæ obirem, (\*\*) Vir Clarissimus nunc ac Doctissimus, in cuius gratiam hæc scribo

Dn. GODOFREDVS CHRISTIANVS GOETZIVS, Philosophiæ iam ac liberalium artium Magister ac sacri Ministerii Candidatus, magni nominis Theologi Dni. D. GEORGII HENRICI GOETZII, Praefulis apud Lubecenses summe Venerandi, filius haud degener, utque in bonarum litterarum & sanctæ imprimis Theologiae studio perficeretur amplius, meo ductu eodemque mecum contubernio ad tempus usus est. Quare, quum, quæ studiorum eius ac vitae ratio eo tempore fuerit, ignotum mihi esse non possit, non potui, quin per hasce litteras bona fide testarer, quicquid in eius commendationem ex annorum illorum memoria mihi succurrît. Debetur scilicet ipsi laus indefessæ industriæ. Neque enim tempus ignavia aut turpi otio perdidit, sed exemplum magni parentis identidem intuens, quod poeta quodam loco, nescio quem, iubet, annisus est. Libros, quorum imprimis amator erat, sedula manu reuoluit, Exercitio illi sacro, quo sermones ad populum habere discunt futuri ecclesiæ ministri, strenue ac tanto studio intentus erat, ut quod laudi ducitur equo generoso, frenis potius, quam calcaribus haberet opus, quemadmodum &, ut in Theologica disciplina orthodoxiæ floreret laude, magno impetu de-  
dit

---

(\*) Scilicet Anno 1720. & 1721.

(\*\*) Ab anno 1718. Dom. Invocavit usque ad Dn. V. p. Trin. 1721.



dit operam. Caeterum quid in quavis studiorum parte profecerit, successu temporis scripta eius, (\*) quae in lucem prodire, uel me tacente, satis loquuntur, e quibus, quid e lectionis ubertate, & iudicii acumine, aliisque quae bonum scriptorem decent, dotibus valeat, cordatus lector facile deprehendet. Ad ea igitur prouocasse sufficiat; quanquam hoc mihi fatendum est, nihil fere eorum prodiisse, quod sciam, quam diu apud me auctor eorum fuit, ut adeo aliorum fere temporum sint illi fructus, quam de quibus nunc inprimis est sermo. Sed & vitae ratio, donec mecum versatus est, huiusmodi fuit, ut intra modestiae ac temperantiae limites contineretur. Neque enim locus erat crapulae, aut computationibus, neque alii commercio pravo, quod bonos mores corrumpit. Faxit uero Numen immortale, ut cui gregi hic noster aliquando pastor praeficeretur, cum & pura Euangelii doctrinae instituta simul prudenti ὀρθοτοιμία uerbi pascat fideliter, ipsiusque exemplum ipse fidei ac pietatis praeceat, ut & se ipsum & qui ipsum audituri sunt, ad salutem perducat. Scribebam Lipsiae prid. Calend. Mart.  
A. C. MDCCXXVI.

(L. S.)

M. Georgius Samuel Wagnerus,  
adhuc Diac. Subst. & Eccles. Vespert.  
ad D. Nicol. vocatus iam Pastor Ecclesiae Wurcensis.

---

(\*) Illa nempe haec sunt:

1. A. 1717. Evangelisches Münz-Cabinet 4t. Lub.
2. A. 1719. Epitaphium Lutheri 4t. Lub.
3. Oratio in memor. Dn. M. Lehmanni, V. D. M. Döebel.  
script. Hamb. 4t. 1718.
4. Von der wahren Weisheit gegen Gott und Menschen  
Epist. Gratul. 1720. 4t. Lips.
5. Von Lausitzischen Lieder-Freunden/ Lips. 8v.
6. De Libris a Luthero juvene lectis, Diff. Grat. Lips. 1721.  
4t. ed.
7. Gott geheiligte Weihnacht's Stunden in cant. Laßt uns  
alle frölich seyn, 1722. 8v. Lips.
8. Geistliches Münz-Cabinet 8v. 1723. Lips.
9. Homil. in Ev. Fer. III. Nativ. Joh. I. 1-14. Torg. 1723. 4t.
10. Homil. in Epist. Annunt. Mar. ex Ef. VII. 10-16. Saalfeld.  
4t. 1723.
11. Quæst. Ob aus Unbekannten Bekannte werden können?  
1724. 4t. Ep. Grat.
12. In Symb. Consul. Lubec. recte faciendo, neminem time-  
as, 1723. 4t. Lips. Ep. Grat.
13. in Cant. Natal. vom Himmel kam der Engelschaar 2c. sub  
rubro: Erbauliche Weihnacht's Andachten/ 1724. 8v.  
Lips.
14. Homil. in Ev. D. 13. p. Tr. Luc. X. 23-27. Lips. 1724. 8v.
15. Nuptialia sacra, Witteb. 8v. ed. 1724.
16. De Luthero Oratore, 1725. fol. ed. Ep. Grat.
17. De Lutheri Virtute & Magnanimitate, 1725. 4t. Lips.
18. In cant. Pass. Christus der uns selig macht 2c. Torg.  
1724. ed. 8v. sub rubro: Die Gestalt des leybenden  
JESU 2c.

19. Ho-

19. Homil. II, in Ep. Fest. Epiph. Ef. LX. 1-6. & purif. Mar. Mal. III. 1-4. sub rubro : Die Gestalt des Neugebohrnen Jesu. 1725. Torg. 8v. ed.
20. De mutationibus V. D. M. ad Præsulem Lips. Dn. D. Sal. Deylingium, Ep. Grat. 1721. 4t. Lips. direct.
21. De Lectione Librorum Lutheri, 4t. 1724. Lips.
22. Diff. Exeg. in Zach. IX, 9. 1724. 4t. Lips.
23. Von Societäten insgemein und daß der Ehestand eine Societät Jesu könne genennet werden / insonderheit 8v. 1725.
24. Wie weit das Spielen erlaubet sey? Quæst. Ep. Grat. 1725. 4t. ed. Lips.
25. Aliaque inprimis Poemata tam sacra, quam profana, diversis temporibus litteris consignata.
26. Homil. in IV. Cap. Catech. de Baptismo, 4t. Lips. ed. præsentè Duce Saxo-Gothano hab. 1723.
27. Homil. in Ep. D. Exaudi 1. Pet. IV. 8-11, præsentè Duce Saxo-Leucopetrense 1724. hab. Eisenb. 4t. ed.
28. Homil. in Zach. XIV. 4. Eisenb. 1724. 8v. ed.
29. Kurze Erzählungen / von denen Gelehrten so in der Schule Pforte studiret haben / Lips. 1721. 8v. ed.
30. Orat. in Oraculum Lutheri : Fleißig gebet ist über die Helffte studiret 2c. Numb. 720. 8v.
31. Orat. de Hymnopoeis &c. vid. supra.
32. Diff. de Reformatione Lutheri &c. vid. supra.
33. Diff. Th. de Conformitate &c. vid. supra.

&c. &c. &c.

F

Qui

Q<sup>VI</sup> presentes offert, Dominus M. GODOFREDVS  
CHRISTIANVS GOETZIVS, Annæmontanus,  
Reverendi Ministerii Candidatus indefessus, pietate, mode-  
stia, diligentia, eruditis scriptis ac ingenii monumentis cla-  
rus ac celebris, quamdiu apud nos in Academia vixit studio-  
rum gratia, patre me spiritali in confessionibus privatis usus,  
sæpius sacris animæ epulis corroboratus, vitam Academicam  
cum alio vivendi genere, Candidato Ministerii digno, com-  
mutare satagit, quapropter cum legitimo hoc eundem dimi-  
tentes testimonio, beneficis Musarum Fautoribus enixissime  
commendo, omnemque eidem prosperitatem, divinæque  
augmentum gratiæ ex animo precor, voveoque. Witte-  
bergæ Saxonum, CIOCCXXV. d. XIV. Novembr.

(L. S.)

M. Andreas Charitius,  
Diac.

Q<sup>V</sup>antum pietas, modestia, diligentia laudem merentur,  
tanta ornandum esse censeo juvenem optimæ indolis,  
GODOFREDVM CHRISTIANVM GOETZIVM, Annæ-  
montanum egregium hæcenus Athenæi nostri alumnum.  
Quatuor speciminibus publicis se probavit iis, qui de ju-  
venibus, in litteras ea, qua par est ratione incumbentibus,  
possunt rite judicare. Excitavit eum præter alia, gloria ac  
fama Goetziana, quam, præter Jenam, Lubeca, Lipsia, imò  
totus orbis litteratus demiratur. Deus immortalis ipsius stu-  
diis ea det incrementa, ut spes, quæ de ipso concepta, feli-  
cissime impleatur. Scrib. Lubec. Kal. Jul. MDCCXIX.

(L. S.)

Jo. Henr. von Seelen,  
Rector.  
SS. Theol. Licent.

VIRO PRAECLARISSIMO  
DIVINIS ANIMI INGENII VIRTUTIS AC  
DOCTRINAE DOTIBVS PRAEDITO  
M. GODOFR. CHRISTIANO  
GOETZIO

S. S. MINIST. CANDIDATO  
FAVTORI SVO EO QVO PAR EST OBSER-  
VANTIAE CVLTV AETERNVM PROSEQVENDO

S. D. P.

IYSTVS HEINRICVS LEO  
MICRO-BARCKELIO-HANNOVERANVS  
S. S. THEOL. CAND.

**E**ffe hoc generi Vestro, Vir Praeclarissime, diuinitus  
quasi datum, Vobis nascentibus eruditorum vt auge-  
atur numerus, nemo, nisi, qui a veritatis amore  
prorsus remotus est, inficias ire audebit. Demiratur ac eti-  
am post fata, omni amoris adfectu prosequitur orbis eruditus  
LVCIOS, GLEICHIOS, GOETZIOS, quos habuisti auos  
ac proavos, maximorum Nominum Viros. Demiratur ecclesia  
Jesu Christi parentem TVVVM, Virum euectum supra sortem  
aetatis ac genium huius seculi, summe venerabilem sacrorum  
apud Lubecenses praesulem, cuius memoriam nulla vnquam  
oblitterabit obliuio. Demirantur quoque TE omnes ac sin-  
guli ob incredibilem eruditionis eximiae praestantiam ac va-  
rias

rias morum optimorum suauitates, quibus TE paternarum  
virtutum felicissimum esse haeredem, luculenter demon-  
stras. Quod, si quis curatius nosse cupit, is velim inspiciat  
vitam TVAM virtutis exercitio deditam accuratiorique men-  
tis lance perpendat specimina, ita abs TE elaborata, vt quid  
reprehendi in illis possit, nec ipse inuenerit Momus. Quae  
cum ita sint, Vir praeclarissime, ego certo ex omni illo tem-  
pore, ex quo scripta TVA eruditissima me reddiderunt eruditio-  
rem, tacitus in dolem, qua praeditus es diuinam, semper sum  
deueneratus, ac vel hanc ob causam commercio, quo TEcum  
hucusque vsus sum litterarum, nihil mihi euenire potest dul-  
cius, exoptatus nihil. Sed pluribus verborum ambagibus  
TVAS enarrare laudes & actum a viris doctissimis agere, sin-  
gularis TVA prohibet modestia immo & virium mearum im-  
becillitas. Quare latum virtutum TVARVM ac encomiorum  
campum non ingredior. Ardentissimis potius, quod praeci-  
puum duco, summum Numen inploro precibus, vt TE,  
de quo sibi ecclesia Jesu Christi iure meritoque gratulari  
potest, conseruare ac omni felicitatis genere exornare velit,  
quo oves nutu Seruatoris pascendas, ad limpidissimos Israelis  
fontes ducere ac illis quam diutissime praeesse possis. De  
cetero vt TVO me porro dignari velis fauore, etiam atque  
etiam abs TE peto. Dabam in Academia Julia prid.  
Non. Maii Anno Christi MDCCXXVI.

✓

CR 599


W01P



ULB Halle  
005 594 09X  
3







Q. D. B. V.  
M. GODOF. CHRISTIAN. GOETZII  
ANNAEMONTANI  
REV. MINIST. CAND.  
DE

VESTIVM  
NIGRARVM  
VSV

COMMENTATIO

PHILOLOGICO-ANTIQUARIA,  
ACCEDIT

COLLECTIO  
TESTIMONIORVM ACADE-  
MICORVM

A  
PATRONIS ET PRAECEPTORIBVS  
COMMUNICATORVM.

---

Helmstadt,  
EX OFFICINA BYCHOLTZIANA.